



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117956**

§. 58. S. Hugo Abbas Cluniacensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. Odilone defuncto Hugo una omnium vo-  
A.C. 1049. ce electus est.

## §. LVIII.

*S. Hugo Abbas Cluniacensis.*

vit. Bibl.  
 Clun. p. 414.  
 Boll. 29.  
 Apr. to. II.  
 p. 628.

Hugoni in Diœcesi Augustodunensi, an-  
 no millesimo vigesimo quarto, in lu-  
 cem edito, Dalmatius Pater, Comes Se-  
 murienfis, Sagum, honoresque militares,  
 Mater vero Sacerdotium destinabat. Il-  
 le matris propensione propior nec equis,  
 nec armis gaudebat, & latrocinia, qui-  
 bus tunc ferme omnes viæ publicæ infe-  
 stabantur, vehementissime horrebat. Ita-  
 que licet ægre impetrata licentia apud  
 Hugonem Propinquum suum, Episcopum  
 Antissiodorensem, & Comitem Cabilo-  
 nensem literas discendi, postquam Gram-  
 maticæ operam dedisset, relicto mundo,  
 annos natus quindecim, Cluniaci Cucul-  
 lum induit. Inde annis aliquot elapsis  
 S. Odilo eximiis Hugonis meritis explo-  
 ratis, licet juvenem, monasterii Priorem  
 constituit, & in Germaniam delegavit,  
 ubi ipsius opera effectum, ut Monachis  
 Paternaci in Diœcesi Lufunensi cum Hen-  
 rico Imperatore in gratiam redire licue-  
 rit. Ceterum in Germania degens Hu-  
 go, comperta S. Odilonis morte, Clunia-  
 cum rediit donis cumulatus, quæ illuc  
 Imperator mittebat. Tum ad eligen-  
 dum Abbatem conveniunt, Adalmanus  
 illius



illius Congregationis Senior Hugonem Priorem in Abbatem designat, omnes ipsius vocem suo confirmant suffragio. Igitur Hugo frustra reluctans eligitur, & Benedictionem Abbatialem, conferente Hugone Archiepiscopo Vefuntino, in Festo Cathedræ S. Petri, anno millesimo quadragesimo nono, annos natus viginti quinque, recipit. Abbatia Cluniacensi deinde annis sexaginta præfuit.

Sæculum XI.  
A.C. 1049.

## §. LIX.

*Leo Papa in Francia.*

Eodem anno Hugo Abbas Cluniacensis Concilio Remensi, a Leone IX. Papa celebrato, interfuit. Herimaro, S. Remigii Abbati, promiserat Pontifex dedicaturum se novam Ecclesiam ab hoc Abbate ædificatam. Cumque Henricus Rex Franciæ in Festo Pentecostes anno millesimo quadragesimo nono Laoduni ageret, ad eum se contulit Abbas, rogans, ut & ipse huic Dedicationi interesse dignaretur, & Episcopos Regni sui convenire datis literis juberet. Pollicitus est Rex, quod rogabatur, & Abbas per Epistolas Franciæ & vicinarum provinciarum Fideles omnes invitavit, ut latissimis Solemniis adessent. Papa Colonia digressus ad Festum Exaltationis S. Crucis Tullum pervenit, unde missis ad Episcopos Abbatesque mandatis, eos

*Hist. Dedic.  
n. 7. Sæc. 6.  
Ben. p. 715.*